

& sollicitus. Et sapientes suos ita vocabant Persæ Magos, quos
Ægyptii appellabant Sacerdotes, Indi Gymnosophistas, Græci
Sophos & Philosophos, Galli Druidas. Ut ergò tunc Magi au-
toritate & dignitate eminebant; Ita Magiâ nihil dignius ex-
cellentiusque putabatur. Hinc nec regiâ Majestate potiri po-
terant, qui non Magorum sapientiam perceperant antè. Quò
spectant verba Platonis in Alcibiade 1. ut ea recenser *Apulejus*
Apol. 1. p. 276. Tradebatur, inquit, Regis Persarum Filius pri-
mogenitus selectis quatuor Viris instituendus, quorum primus
σωφώτατος; alter δικαιοτάτος; Tertius σωφρονεστάτος, quar-
tus ἀνδρειότατος salutabatur. Adhæc præ reliquis Magi re-
gio diademate censebantur digni, imò Regibus ipsis impera-
bant, ut notat *D. Hieronymus in c. 11. Dan.* quibus absentibus
regni quoque curam suscipiebant, docente *Chrysostomo oratio-
ne de fide.* At verò subsequentibus temporibus honestissimo
Magiæ nomini magna iniusta est infamia, culpâ non propriâ,
sed alienâ. Quod fatum etiam nominibus Tyranni & Sophi-
stæ, aliis contigisse, scimus omnes. A philosophis enim &
Philotheis ad eos devenit, qui Diabolicis artibus se tradide-
runt, qui fœdera cum Diabolis inierunt, atque sic Sataniæ ope-
râ idem sapientiæ & dignitatis fastigium adscendere labora-
runt, periti juxta atque imperiti, quorum isti, cum alias nulli
essent, splendorem ac timorem isthac sibi comparare volue-
runt arte; Hi vanæ gloriolæ ergò, nefando occultarum qua-
litarum prætextu vel miranda produxerunt vel ignota prædi-
xerunt. Nos ab abusu suo nomen illud sequestrantes ac depu-
rantes, suoque nitore pristino restituentes, per Magiam intel-
ligimus hic totius universi non superficialem ac tralatitiam,
sed verè exactam & accuratam cognitionem, viriumque arca-
narum in cœlo, stellis, inanimatis atque animatis delitecen-
tium, ac deliciarum & divitiarum naturæ sollicitiorem inda-
gationem, ex quâ tum eventus admirandi prædici; tum effe-
ctus admirandi produci possunt. Quo sensu *Plinius* scribit, ple-
num miraculi fuisse, quod Magia & Medicina in Græciâ pa-
riter effloruerint eadem ætate, illam Democrito, hanc Hippo-
crate illustrantibus. Democritus verò ab Hippocrate in Epi-
stolâ